

## CAPUT 4.

## ORDO BAPTISMI ADULTORUM.

**I**N primis Sacerdos, paratis his, quæ supra de observandis in administratione Sacramenti Baptismi Parvulorum dicuntur, indutus superpelliceo et stola, vel etiam pluviali violacei coloris, cum suis Clericis accedit ad gradus Altaris, et genibus flexis, pias mente ad Deum preces effundit, ut tantum Sacramentum digne valeat ministrare; et ad implorandum divinum auxilium, surgens, se signat, et si temporis ratio ferat, dicit:

**V.** Deus, in adiutorium meum intende.

**R.** Domine, ad adiuvandum me festina.

**V.** Gloria Patri. Sicut erat.

2. Postea incipiat, prosequentibus Clericis,

**Antiph.** Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, dicit Dominus.

Psalmus 8.

**D**omine, Dominus noster, \* quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Quoniam elevata est magnificentia tua, \* super cælos.

Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, \* ut destruas inimicum et ultorem.

Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum: \* lunam et stellas, quæ tu fundasti.

Quid est homo, quod memor es ejus? \* aut filius hominis, quoniam visitas eum?

Minuisti eum paulo minus ab angelis, gloria et honore coronasti eum: \* et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Omnia subiecisti sub pedibus ejus, \* oves et boves universas: insuper et pecora campi.

Volucres cæli, et pisces maris, \* qui perambulant semitas maris.

Domine, Dominus noster, \* quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Gloria Patri, etc.

Psalmus 28.

Afferre Domino, filii Dei: \* afferre Domino filios arietum:

Afferre Domino gloriam et honorem, afferre Domino gloriam nomini ejus: \* adorare Dominum in atrio sancto ejus.

Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit: \* Dominus super aquas multas.

Vox Domini in virtute: \* vox Domini in magnificentia.

Vox Domini confringentis cedros: \* et confringet Dominus cedros Libani.

Et comminuet eas tamquam vitulum Libani: \* et dilectus quemadmodum filius unicornium.

Vox Domini intercidentis flammam ignis: \* vox Domini concutientis desertum: et commovebit Dominus desertum Cades.

Vox Domini præparantis cervos, et revelabit condensata: \* et in templo ejus omnes dicent gloriam.

Dominus diluvium inhabitare facit: \* et sedebit Dominus rex in æternum.

Dominus virtutem populo suo dabit: \* Dominus benedicet populo suo in pace.

Gloria Patri, etc.

Psalmus 41.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum: \* ita desiderat anima mea ad te, Deus.

Sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum: \* quando veniam, et apparebo ante faciem Dei?

Fuerunt mihi lacrymæ meæ panem die ac nocte: \* dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus?

Hæc recordatus sum, et effudi in me animam meam: \* quoniam

transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei.

In voce exultationis, et confessionis: \* sonus epulantis.

Quare tristis es anima mea? \* et quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: \* salutare vultus mei, et Deus meus.

Ad meipsum anima mea conturbata est: \* propterea memor ero tui de terra Jordanis, et Hermoniim a monte modico.

Abyssus abyssum invocat, \* in voce cataractarum tuarum.

Omnia excelsa tua, et fluctus tui \* super me transierunt.

In die mandavit Dominus misericordiam suam: \* et nocte canticum ejus.

Apud me oratio Deo vitæ meæ, \* dicam Deo: Susceptor meus es.

Quare oblitus es mei? \* et quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus?

Dum confringuntur ossa mea, \* exprobraverunt mihi, qui tribulant me, inimici mei.

Dum dicunt mihi per singulos dies: Ubi est Deus tuus? \* quare tristis es anima mea? et quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: \* salutare vultus mei, et Deus meus.

Gloria Patri, etc.

Et repetitur Antiphona. Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, dicit Dominus.

3. Deinde dicitur: **Kýrie eléison. Christe eléison. Kýrie eléison. Pater noster.**

**V.** Et ne nos indúcas in tentatiónem.  
**R.** Sed líbera nos a malo.  
**V.** Dómine, exaúdi oratiónem meam.  
**R.** Et clamor meus ad te véniat.  
**V.** Dóminus vobíscum.  
**R.** Et cum spírítu tuo.

## Orémus.

**O**mnípotens, sempitérne Deus, qui dedísti fámulis tuis in confessiône veræ fidei, ætérnæ Trinitátis glóriam agnóscere; et in poténtia majestátis adoráre unitátem: quæsumus; ut ejúsdem fidei firmitáte, ab ómnibus semper muniámur advérsis.

## Oratio.

**A**désto supplicatióibus nostris, omnípotens Deus: et quod humilitátis nostræ geréndum est ministério, tuæ virtútis impleátur efféctu.

## Oratio.

**D**a, quæsumus Dómine, Elécto nostro, ut sanctis edóctus mystériis, et renovétur fonte Baptísmatis, et inter Ecclesiæ tuæ membra numerétur. Per Christum Dóminum nostrum.

**R.** Amen.

4. Si plures fuerint baptizandi, hæc tertia Oratio dicatur in numero plurali.

5. Deinde Sacerdos procedit ad fores Ecclesiæ, et stat in limine: catechizandus vero extra limen. Et si sunt plures, mares et femine, illi ad dexteram Sacerdotis, hæ vero ad sinistram stantur, et

Sacerdos interrogat: Quo nómine vocáris?

Catechumenus respondet: N.

Sacerdos: N. quid petis ab Ecclesiá Dei?

**R.** Fidem.

Sacerdos: Fides, quid tibi præstat?

**R.** Vitam ætérnam.

Sacerdos: Si vis habére vitam ætérnam, serva mandáta. Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota ánima tua, et ex tota mente tua, et próximum tuum sicut te ipsum. In his duóbus mandátis tota Lex pendet, et Prophétæ. Fides autem est, ut unum Deum in Trinitáte, et Trinitátem in unitáte veneréris, neque confundéndo persónas, neque substántiam separándo. Alia est enim persóna Patris, ália Fílii, ália Spírítus sancti; sed horum trium una est substántia, et nónnisi una Divínitas.

6. Et rursus interrogat: **N.** Abrenúntias sátanæ?

**R.** Abrenúntio.

Interrogat: Et ómnibus opéribus ejus?

**R.** Abrenúntio.

Interrogat: Et ómnibus pompis ejus?

**R.** Abrenúntio.

7. Deinde Sacerdos interrogat de Symbolo Fidei, dicens:

Credis in Deum Patrem omnipoténtem, creatórem cœli et terræ? **R.** Credo.

Interrogat: Credis in Jesum Christum, Fílium ejus únicum, Dóminum nostrum, natum, et passum? **R.** Credo.

Interrogat: Credis et in Spírítum sanctum, sanctam Ecclesiám Cathólicam, Sanctórum communiónem, remissionem peccatórum, carnis resurrectionem, et vitam ætérnam?

**R.** Credo.

8. Tunc Sacerdos exsufflat ter in faciem ejus, semel dicens:

Exi ab eo, spírítus immúnde, et da locum Spírítui sancto Paráclito.

9. Hic in modum crucis halet in faciem ipsius, et dicat:

**N.** Accipe Spírítum bonum per istam insufflationem, et Dei benedictiόnem. ✠ Pax tibi.

**R.** Et cum spírítu tuo.

10. Deinde facit Crucem cum pollice in ejus fronte, et in pectore, dicens:

**N.** Accipe signum Crucis tam in fronte, ✠ quam in corde: ✠ sume fidem cœlestium præceptórum. Talis esto móribus, ut templum Dei jam esse possis: ingressúsque Ecclésiám Dei, evasisse te láqueos mortis, lætus agnósce; (horrésce idóla, réspue simulácula), cole Deum Patrem omnipoténtem, et Jesum Christum, Fílium ejus únicum, Dóminum nostrum, qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sœculum per ignem. **R.** Amen.

Hic advertendum est, quod dicta verba (horrésce idóla, réspue simulácula) dicantur Catechumeno qui venit de gentilitatis errore, seu de ethnicis et idololátris. Catechumeno vero Judæo, sive ex Hebræis venienti, loco horum verborum dicatur (horrésce Judáicam perfídiam, réspue Hebráicam superstitióem).

Saraceno autem, vel Turcæ, aut Persæ, sive alii ex Mahumetanis ad fidem venienti Catechumeno, loco eorundem verborum, dicatur (horrésce Mahuméticam perfídiam, réspue pravam sectam infidelitátis).

At hæretico ad catholicam Ecclesiam venienti, qui, si in ejus Baptismo debita forma servata non est, baptizari debet, dicatur (horrésce hæreticam pravitátem, réspue nefárias sectas impiórum). Vel exprimaturo proprio nomine secta de qua Catechumenus venit.

11. Si plures sunt Electi, omnia supradicta dicantur singillatim super singulos.

Orémus.

Oratio.

**T**e déprecor, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus: ut huic fámulo tuo **N.** qui in hujus sœculi nocte vagátur incértus ac dúbius, viam veritátis et agnitiónis tuæ júbeas demonstrári: quátenus, reserátis óculis cordis sui, te unum Deum Patrem in Fílio, et Fílium in Patre cum Spírítu sancto recognóscat, atque hujus confessiónis fructum, et hic, et in futúro sœculo percípere mereátur. Per Christum Dóminum nostrum. **R.** Amen.

12. Si plures sint Electi, præcedens Oratio dicatur in numero plurali. (Sequentes autem signationes fiant cum suis verbis singillatim super singulos.)

13. Deinde signet Electum signo Crucis cum pollice in fronte dicens:

Signo tibi frontem, ✠ ut suscípias Crucem Dómini.

In auribus: Signo tibi aures, ✠ ut aúdias divína præcépta.

In oculis: Signo tibi óculos, ✠ ut vídeas claritátem Dei.

In naribus: Signo tibi nares, ✠ ut odórem suavitátis Christi séntias.

In ore: Signo tibi os, ✠ ut loquáris verba vitæ.

In pectore: Signo tibi pectus, ✠ ut credas in Deum.

In scapulis: Signo tibi scápulas, ✠ ut suscípias jugum servitútis ejus.

In toto corpore, illud non tangens, manu producit signum Crucis, et dicit:

Signo te totum in nómine Patris, ✠ et Fílii, ✠ et Spírítus sancti, ✠ ut hábeas vitam ætérnam, et vivas in sœcula sœculórum. **R.** Amen.

Orémus.

Oratio.

**P**reces nostras, quæsumus Dómine, cleménter exaúdi, et hunc Eléctum tuum **N.** Crucis Domínicæ, cujus impressiône eum signámus, virtúte custódi: ut magnitúdinis glóriæ tuæ rudiménta servans, per custódiám mandatórum tuórum ad regeneratiónis glóriam pervenire mereátur. Per Christum Dóminum nostrum. **R.** Amen.

Orémus.

Oratio.

**D**eus, qui humáni géneris ita es cónditor, ut sis Détiam reformátor, propitiáre pópulis adoptívis, et novo testaménto sóbolem novæ prolis adscribe: ut filii promissiónis, quod non potuérunt ássequi per natúram, gaúdeant suscepisse per grátiam. Per Christum Dóminum nostrum. **R.** Amen.

14. Tunc imponit manum super caput Electi, et dicit:

Orémus.

**O**mnípotens, sempitérne Deus, Pater Dómini nostri Jesu Christi, respícere dignéris super hunc fámulum tuum **N.**, quem ad rudiménta fídei vocáre dignátus es: omnem cæcitatém cordis ab eo expélle: disrúmpe omnes láqueos sátanæ, quibus fúerat colligátus; áperi ei, Dómine, jánuam pietátis tuæ, ut signo sapiéntiæ tuæ imbútus, ómnium cupiditátum fœtóribus cáreat, et ad suá-  
vem odórem præceptórum tuórum lætus tibi in Ecclésia tua desérviat, et proficiat de die in diem, ut idóneus efficiátur accédere ad grátiam Baptismi tui, percépta medicína. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum.

**R.** Amen.

15. Si plures sint, hæc, et præcedens Oratio, Preces nostras, etc. dicantur in numero plurali.

16. Deinde Sacerdos benedicat sal.

**Benedictio Salis dandi Catechumeno.**

**E**xorcízo te, creatúra salis, in nómine Dei Patris ✠ omnipoténtis, et in caritaté Dómini nostri Jesu ✠ Christi, et in virtúte Spíritus ✠ sancti. Exorcízo te per Deum vivum, ✠ per Deum verum, ✠ per Deum sanctum, ✠ per Deum, ✠ qui te ad tutelam humáni géneris procreávit, et pópulo veniénti ad credulitátem per servos suos consecrári præcépit, ut in nómine sanctæ Trinitátis efficiáris salutáre sacraméntum ad effugándum inimí-  
cum. Proínde rogámus te, Dómine, Deus noster, ut hanc creatúram salis sanctificádo sanctífices, ✠ et benedicédo benedícas, ✠ ut fiat ómnibus accipiéntibus perfécta medicína, pérmanens in viscéribus eórum, in nómine ejúsdem Dómini nostri

Jesu Christi, qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem.

**R.** Amen.

17. Tunc pollice et indice accipit de ipso Sale, et immittit in os Catechumeni, dicens:

**N.** Accipe sal sapiéntiæ: propitiátio sit tibi in vitam ætérnam. **R.** Amen.

Sacerdos: **Pax** tibi. **R.** Et cum spíritu tuo.

Orémus.

**D**eus patrum nostrórum, Deus univérsæ cónditor veritátis, te súpplíces exorámus, ut hunc fámulum tuum **N.** respícere dignéris propítius, et hoc primum pábulum salis gustántem, non diútius esuríre permíttas, quo minus cibo expleátur cœlésti, quátenus sit semper spíritu fervens, spe gaudens, tuo semper nómini sérviens. Perduc eum, Dómine, quæsumus, ad novæ regeneratiónis lavácrum, ut cum fidélibus tuis promissiónum tuárum ætérna præmia cónsequi mereátur. Per Christum Dóminum nostrum.

**R.** Amen.

18. Si plures sint, dicatur singulis: **N.** Accipe sal, etc., et præcedens Oratio, Deus patrum nostrórum, in numero plurali.

19. Quod si Catechumenus fuerit Gentilis, sive ex Idololatriis venerit ad Fidem, benedicto sale, antequam ejus medicinam gustet, Sacerdos addat sequentem Orationem, dicens:

Orémus.

Oratio.

**D**ómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, qui es, qui eras, et qui pérmanes usque in finem, cujus orígo nescítur, nec finis comprehénderi potest: te súpplíces invocámus super hunc fámulum tuum **N.** quem liberásti de errore gentílium, et conversatióne turpíssima: dignáre exaudíre eum, qui tibi cervíces suas humiliat ad lavácri Fontem, ut rená-

tus ex aqua, et Spíritu sancto exspoliátus véterem hóminem, induat novum, qui secúndum te creátus est; accípiat vestem incorrúptam, et immaculátam, tibi que Deo nostro servíre mereátur. Per Christum Dóminum nostrum. **R.** Amen.

20. Si plures sint, præcedens Oratio dicatur in numero plurali.

21. Deinde Sacerdos dicat super masculinum tantum:

Ora, Elécte, flecte génuá, et dic: Pater noster.

Et Electus genuflexus orat, et dicit:

Pater noster.

Et cum oraverit, et dixerit Pater noster. usque ad, Sed libera nos a malo, inclusive, Sacerdos subjungit:

Leva, comple oratióem tuam, et dic, Amen.

Et ille respondet: Amen.

Et Sacerdos dicit Patrino: **Signa eum.**

Deinde Electo: **Accéde.**

Et Patrinus pollice signat eum in fronte, dicens:

In nómine Patris, et Filii, et Spíritus sancti.

22. Tum quoque Sacerdos facit crucem in fronte ejus, ita dicendo:

In nómine Patris, et Filii, et Spíritus sancti.

Et imponit manum super eum, et dicit:

**Orémus.**

**Oratio.**

**D**eus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, Deus, qui Móysi fámulo tuo in monte Sínai apparuísti, et filios Israél de terra Ægýpti eduxísti, députans eis Angelum pietátis tuæ, qui custodíret eos die ac nocte: te quæsumus, Dómine; ut mittere dignéris sanctum Angelum tuum de cœlis, qui simíliter custódiat et hunc fámulum tuum **N.** et perdúcat eum ad grátiam Baptísmit tui. Per Christum Dóminum nostrum. **R.** Amen.

**Exorcismus.**

**E**rgo, maledícite diábole, recognósce senténtiam tuam, et da honórem Deo vivo et vero, da honórem Jesu Christo Filio ejus, et Spíritui sancto,

et recéde ab hoc fámulo Dei **N.** quia istum sibi Deus et Dóminus noster Jesus Christus ad suam sanctam grátiam, fontémque Baptísmit vocáre dignátus est: et hoc signum sanctæ crucis, ✠ quod nos fronti ejus damus, tu, maledícite diábole, numquam aúdeas violáre. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum, qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem. **R.** Amen.

23. Sed si plures sint Catechumeni, hic et in sequentibus Sacerdos dicat in numero plurali: Oráte, Elécti, flectite génuá, etc. ut supra, usque ad finem præcedentis Exorcismi, qui incipit: Ergo, maledícite diábole.

Item super unum secundo dicat: Ora, Elécte, flecte génuá, et dic: Pater noster, et reliqua, ut supra pag. 28. usque ad Oratióem, Deus Abraham exclusive; deinde imponit manum super eum, ac dicit:

**Orémus.**

**D**eus immortalé præsidium ómnium postulántium, liberátio súpplicum, pax rogántium, vitá credéntium, resurréctio mortuórum: te ínvocho super hunc fámulum tuum **N.**, qui Baptísmit tui donum petens, ætérnam cónsequi grátiam spirituáli regeneratióne desíderat: áccipe eum, Dómine, et quia dignátus es dicere: Pétite, et accipiétis; quærite, et inveniétis; pulsáte, et aperiétur vobis; peténti præmium pórrige, et jánuam pande pulsánti: ut ætérnam cœléstis lavácri benedictiόnem consecútus, promíssa tui múnemis regna percípiat. Qui cum Patre, et Spíritu sancto vivis et regnas Deus, in sæcula sæculórum. **R.** Amen.

**Exorcismus.**

**A**udi, maledícite sátana, adjurátus per nomen ætérni Dei, et Salvatóris nostri Jesu Christi Filii ejus, cum tua victus invídia, tremens, geménsque discéde: nihil tibi sit commúne cum servo Dei **N.**, jam cœléstia cogitánte, renuntiatúro tibi et sæculo tuo, et beátæ immortalitati victúro. Da